

Justus Christoph Schomer

Theses Anti-Iesuiticae In Exercitium Provatarum Disputationum

Rostochii: Weplingius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73621254X>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1687

Schomerus, Just. Christ. *Ja*

879.

147

13

THESES
ANTI-JESUITICÆ
IN EXERCITIUM
PRIVATARUM DISPUTATIONUM
NUNC DENUO
PROPOSITÆ
A
JUSTO CHRISTOPHORO
SCHOMERO, D. P. P. & S.

ROSTOCHII,
TYPIS JOH. WEPPLINGII, ACAD. TYPOGR., MDC LXXXVII.

1687



RESPONDENTIUM & OPPONENTIUM,

Classis I.

M. DANIEL LIPSTORFF, *Lubecens.*
MATTHÆUS MULLER, *Dantiscanus*
JOHANNES Kempffer/ *Lubecens.*

Classis II.

DANIEL Schlass / *Amst. Batav.*
STEPHANUS Engel. *Butz. Megapol.*
LUCAS BESELIN, *Rostock.*

Classis III.

ZACHARIAS CORDES, *Rostock.*
FRIDERICUS Cöller / *Sver. Meg.*
NICOLAUS Höner / *Rost.*

Classis IV.

PETRUS SCHRADERUS, *Lubec.*
GODOFREDUS Strahlborn / *Gedan.*
CAROLUS CZIRLINSKII, *Gedan.*



THESIUM ANTI-JESUITICARUM

DISP. I. DE PRINCIPIO THEOLOGIE.

I.



Eq; Pontificum Romanorū neq; universalium, quæ dicuntur, Conciliorū decreta norma aut principium fidei esse possunt.

II. Consensus Patrum veteris Ecclesiæ de omnibus articulis aut S. literarum interpretatione ex scriptis illorum hauriri nequit, nec quicunq; inde petitur, tanti est, ut nobis pro regulâ sit.

III. Nulla extat extra Scripturam S. inde ab Apostolis perpetuâ successorum fide ad nos delata traditio de ullo fidei articulo, quæ pro indubio verbo DEI pietatis affectu recipi possit.

IV. Revelationes novæ animarum apparitiones aut colloquia Angelica dubiæ & suspectæ fidei sunt, ne fides nostra illis inniti possit.

V. Philosophiæ Aristotelicæ hypotheses cum Theologiâ à Scholasticis perperam commixtæ sunt.

VI. Unica norma & principium Theologiæ nostræ hodie est Scriptura S. seu libri Prophetarum & Apostolorum in S. Bibliis collecti.

A

DISP.

DISP. II. DE INTEGRITATE SCRIPTURÆ S.

VII. Apocrypha quæ vocantur V. T. scripta inter libros S. Scripturæ canonicos non numeramus.

VIII. Librorum illorū, qui nobis interciderunt, nullus ita strictè dictus *Canonicus*, fuit, ut ejus jacturā universalis ecclesiæ canon mancus factus sit.

IX. Originale & authenticum idioma, quò libri canonici tam V. quàm N. T. primùm omnium à scriptoribus *Ἰσμεύσις* exarati sunt, hæcenus superesse nobis credimus.

X. Etsi variantes quasdam lectiones in variis primigeniū idiomatis codicibus deprehendi haud diffitemur, non tamen corruptionem aut falsationem talem S. textus, quæ veritatis cœlestis testimonia inde hausta nobis dubia reddat, agnoscere possumus.

XI. Biblia vulgata Latina à textu originali multis modis abeunt, varieque corrupta sunt, ne illam editionem tutò in scholis & cathedris pro authentica habere, aut in eà acqui escere liceat.

DISP. III. DE AUCTORITATE ET USU SCRIPTURÆ S.

XII. Non absque nutu & providentiâ Dei, aut expressis verbis manifestantis, aut varias occasiones & externa incitamenta sacris scriptoribus proponentis, animosque efficaciter moventis, factum est ut verbum Dei in literas redigeretur.

XIII. Desinente Prophetiæ dono ad servandum typum sanæ doctrinæ scriptura imprimis necessaria fuit.

XIV. Auctoritas S. Script, suis ipsismet criteriis satis sibi constat, nec vel in se vel respectu nostri ab ecclesiæ proponentis auctoritate pendet.

XV. Laici promiscuè omnes ad S. Bibliorum lectionem non admittuntur, sed & invitandi sunt.

XVI. Interest ut S. Biblia omnibus gentibus vernaculè vertantur & publicè prælegantur.

XVII. S. Scriptura omnes articulos fidei ita complectitur, ut in nullâ re, quæ ad salutem scitu & creditu necessaria est, deficiat.

XVIII. Perfectio S. Scripturæ asserta ineptissimè opponitur grammaticæ verborum æquipollentiæ, & consequentiis judicio Logico rite inde deductis.

DISP. IV. DE INTELLECTU SCRIPTURÆ S.

XIX. Sensus Scripturæ S. non extra ejus literam; sed in ipsis literis quaerendus est, & inde peti potest.

XX.

XX: Etsi plura hinc inde in S. literis occurrunt obscuriora, omnia tamen fidei Christianæ capita, & quæ ad salutem nosse interest, ita clarè & perspicuè in illis proponuntur, ut faciliè à quovis pio & attento lectore intelligi possint.

XXI. Scriptura in rebus fidei obscuriùs quandoque propositis ipsa sui interpret & controversiarum iudex infallibilis rectè dicitur.

XXII. Quemadmodum in omnibus aliis scriptis, ita & in S. Literis extra rationem typi, ab ipsâ scripturâ indicati, unius propositionis non nisi unicum sensum eumque literalem admittimus.

XXIII. Spiritus S. internum testimonium, Scripturæ auctoritatem, & veram interpretationem nobis confirmans atque obsignans, non est traducendum nomine spiritus privati.

DISP. V. DE DEO.

XXIV. Soli DEO nomen Jehovah competit, & cultus religiosæ adorationis debetur.

XXV. Mysterium S. Trinitatis citra traditionem ecclesiæ ex S. literis certò & evidenter demonstrari potest.

XXVI. Idem explicitâ fide cognitu ad salutem est necessarium non tantum necessitate præcepti, sed & medii.

XXVII. Mysterium hoc S. Trinitatis ex naturæ lumine nec indagari nec demonstrari potest.

XXVIII. Creationem mundi ab æterno fieri potuisse, haud audemus asserere.

DISP. VI. DE ANGELIS.

XXIX. Pura naturalia Angelorum non sunt abstrahenda à concreata eorum sanctitate & iustitiâ.

XXX. Non ullo merito suo, sed ex merâ DEI gratiâ angeli cœlestem gloriam sunt adepti.

XXXI. Distinctio Angelorum in tres hierachias, & cujusque illarum iterum in suos ordines, à pseudo-Dionysio Areopagita tradita, nullam fidem meretur.

XXXII. Unicuique hominum suum certum datum esse angelum, custodem, suum etiam cuicumque provinciæ, & inter principales septem totius mundi aut ecclesiæ curam divisam esse, temere nec satis conformiter Scripturæ S. fingitur.

XXXIII. Angelos pro mediatoribus agnoscere, & illorum sibi patrocinia precibus quærere, à stylo & doctrinâ Scripturæ S. alienum est.

DISP. VII. DE STATU INTEGRITATIS.

XXXIV. Justitia originalis ante lapsum non fuit humanæ naturæ supernaturalis & indebita exaltatio.

XXXV. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ specialis beneficium, sed naturalis conditio.

XXXVI. In homine, quatenus à DEO conditus est, nulla rebellio virium aut carnis contra rationem concupiscentia fingi aut supponi debet.

XXXVII. Imago & similitudo, ad quam primus homo conditus est, in S. literis non ita distinguuntur, ut illa ad naturam intelligentiæ & voluntatis, hæc ad sapientiam & justitiam referatur.

XXXVIII. Animas hominum beneficio primæ benedictionis cum corpore propagari, non de novo creari & corporibus infundi credimus.

DISP. VIII. DE STATU PECCATI.

XXXIX. Naturæ bona homini post lapsum non mansere integra.

XL. In peccato originis præter Christum omnes omnino homines, & ipsa B. Virgo Maria concepta est.

XLI. Peccatum originis non consistit formaliter in merâ privatione justitiæ originalis.

XLII. Ad rationem peccati non requiritur ut sit voluntarium.

XLIII. Concupiscentia carnis adversus spiritum, quæ in renatis post baptismum superest, verum & propriè dictum est peccatum.

XLIV. Nullum est peccatum, quod in se & naturâ suâ sit veniale.

XLV. Nullæ irrogenitorum virtutes nomen boni operis Theologicè dicti merentur.

XLVI. Libertas arbitrii ad spiritualia amanda, eligenda, percipienda in hominè post lapsum non tantum ligata est, sed planè perit.

DISP. IX. DE LEGE ET EVANGELIO.

XLVII. Lex divina rectè & justè nos obligat ad justitiam post lapsum impossibilitati.

XLVIII. Lex divina ab Evangelio strictè dicto totâ essentiâ distincta est, non tantum gradibus perfectionis, efficaciâ aut circumstantiis.

XLIX. Evangelium non est concio pœnitentiæ, sed gratuiti favoris Dei per Christum parti.

L. Christus non venit ut esset novus legislator, sed ut esset legis impletor.

DISP. X. DE PERSONA ET EXINANITIONE CHRISTI.

LI. Communicatio idiomatum, ex unione hypostaticâ in Christo secuta, est realis non tantum respectu hypostaseos, sed & respectu ipsarum naturarum.

LII. In statu exinanitionis, abdicato divinorum ἀρχμάτων usu anima Christi scientiâ atque sapientiâ habituali verè & realiter profecit, nec semper omnia scivit.

LIII. Tristitia & internus dolor Christi in passione ejus, rectè in totâ anima ejus, non in parte tantum inferiore fuisse intelligitur.

LIV. Christus re verâ sensit maledictionem Dei & pœnas infernales.

DISP. XI. DE SATISFACTIONE CHRISTI.

LV. Christus non secundum humanam naturam tantum, sed & divinam noster mediator est.

LVI. Christus unicus noster est & redemptionis & intercessionis mediator, nec B. virginem aut quemvis alium habet in hoc officio socium.

LVII. Christus unico sacrificio pro omnibus totius mundi & originali & actualibus peccatis satisfecit, ut nullâ reiteratione ejus opus sit.

LVIII. Satisfecit Christus non tantum pro peccatis, sed & omnibus peccatorum pœnistam temporalibus quàm æternis.

LIX. Ipso quoque statu mortis suæ Christus nobis vitam promeruit.

DISP. XII. DE EXALTATIONE CHRISTI.

LX. Potentia Christo secundum humanam naturam in exaltatione ejus quoad plenarium usum collata, verè divina est omnipotentia.

LXI. Christus & secundum utramque naturam est omni præsens.

LXII. Uno eodemque honoris actu Christus Θεάνθρωπος, non alio atque alio pro naturarum distinctione adorandus est.

LXIII. Citra communicationem idiomatum nulla perfectio humanitatis in Christo fundare potest cultum religiosæ hyperdulæ.

DISP. XIII. DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA.

LXIV. Prædestinatio nostra æterna unicè facta est in Christo, non ex ullis nostris meritis prævisis.

LXV. Nulla datur reprobatio absoluta hominum occasionatorum.

LXVI. Gratia efficax, quam Deus ordinariè largitur prædestinatis nec ex internâ virtute suâ, nec ex prudentiâ administrantis, ad congruam hominis dispositionem se adaptantis, major est sufficiente illâ, quam idem generaliter omnibus vocatis impertitur.

LXVII. Homo peccator gratiæ excitanti cooperari, aut se ipsum ad justificationem sui disponere nequit.

LXVIII. Timor filialis, spes, dilectio, desiderium sacramentorum, propositum emendandæ vitæ, fructus fidei sunt in homine justificato, non dispositiones ad justificationem.

DISP. XIV. DE PŒNITENTIA INTERNA.

LXIX. Fides pœnitentiæ, ut totam hominis conversionem denotat, pars est.

LXX. Eâdem ipsa justificatio nostra obtinetur, non ejus tantum dispositio.

LXXI. Pœnitentia inter virtutes numerari non debet.

LXXII. Contritio est passio quædam animi & incussus terror, non dolor voluntariè assumtus.

LXXIII. Contritionem charitate perfectam ut homo eliciat, fieri nequit.

LXXIV. Contritio seria & gravis non simpliciter est estimanda aut exigenda appetitivè ad desiderium cujuscunque, alius seu boni obtinendi seu mali evitandi.

DISP. XV. DE JUSTIFICATIONE.

LXXV. Justificatio forensis non physicæ significationis vox est à renovatione & sanctificatione hominis distincta.

LXXVI. Gratia justificans non infusus habitus est, sed benigna Dei erga peccatores voluntas.

LXXVII. Justitia, quâ coram DEO justi sumus, est ipsa Christi, quâ legem pro nobis implevit, justitia nobis imputata.

LXXVIII. Nullum hominis meritum, nec ipsa fides tanquam virtus nostra sive de congruo sive de condigno ad justificationem nostram concurrat.

LXXIX. Solâ tamen fide, tanquam unico medio gratiæ divinæ apprehensivo, justificamur.

DISP. XVI. DE NATURA FIDEI.

LXXX.

LXXX. Ad fidem requiritur notitia articulorum credendorum distincta & explicita.

LXXXI. Fides salvifica præter notitiam & assensum, etiam fiduciam eamq; specialem complectitur.

LXXXII. Homo renatus de justificatione sua præsentem & statu gratiæ planè certus esse potest & debet.

LXXXIII. Renatus etiam de futurâ perseverantiâ adeoq; de electione sua absq; carnali securitate certus esse potest, ut firmiter præsumat se esse ex numero prædestinatorum.

LXXXIV. Objectum fidei speciale & proximum est promissio Dei Evangelica de remissione peccatorum propter meritum Christi.

LXXXV. Promissio Evangelica non pendet à conditione operum à nobis præstandorum.

LXXXVI. Charitas non est forma fidei, nec fides quatenus ab illâ formata est, justificat.

LXXXVII. Fides tamen verâ, quæ in Evangelio requiritur, semper est fructifera bonorum operum, nec cum peccati dominio potest consistere.

DISP. XVII. DE MERITIS OPERUM.

LXXXVIII. Bonâ opera non sunt meritoria vitæ æternæ.

LXXXIX. Non licet in meritis propriis spem aut fiduciam aliquam coram Deo collocare.

XC. Multò minus aliis nostra bona opera applicare, aut illos iisdem juvare possumus.

XCI. Non potest à renatis in hac mortalitate ullum opus proficisci tam perfectum, ut nihil habeat vitii.

DISP. XVIII. DE NORMA BONORUM OPERUM.

XCII. Lex divina ita unica est bonorum operum norma, ut quicquid præter eam excogitatur, quâ tale, nomine isto indignum sit.

XCIII. In probabilitate ex consensu Doctorum haustâ non potest conscientia dubia tutò acquiescere.

XCIV. Lex divina moralis in V. T. non fuit imperfectior, quàm est in Novo.

XCV. Legem divinam nemo renatus, etiam gratiæ viribus adjutus, perfectè implere potest.

XCVI.

XCVI. Per fidem in Christum à jugo legis, accusantis & damnantis imperfectos sui servatores, liberati sumus.

DISP. XIX. DE CONSILIIS EVANGELICIS.

XCVII. Nulla dedit Christus præter legis obligationem consilia Evangelica, quorum observatio opus supererogationis esset.

XCVIII. Paupertas spiritus, derelictio omnium, abnegatio sui, & id genus alia à Christo & Apostolis commendata, non sunt consilia liberæ observationis, sed præcepta necessaria.

XCIX. Abdicatio spontanea proprietatis bonorum, quæ vel monachorum societati accrescant, vel necessariis relinquuntur, ut ipsemet communibus cœnobiorum sumptibus alaris, non est vel paupertas spiritus vel derelictio omnium Apostolis à Christo commendata.

C. Mendicitas spontanea merito culpanda est, nec in Christianam republicam tolerari debet.

CI. Voluntaria obedientia, quæ & iudicium & voluntatem suam alterius iudicio & voluntati sponte subjicit, non est abnegatio sui, quam Christus in discipulis suis requirit.

CII. Obedientia illa, si prorsus illimitata & cœca fuerit, etiam improbanda est, tanquam ab omni ratione aliena.

CIII. Cœlibatus est quidem status pro personarum, loci & temporis conditione utilior & ad jugem Dei cultum aptior, quam conjugium, absolute tamen non est status perfectionis aut cultus Dei.

DISP. XX. DE VOTIS ET JEFUNIIS.

CIV. Vota monastica pro perpetua paupertate, obedientia & virginitate, quia sub opinione perfectionis & meriti concipiuntur, ac laqueos conscientis injiciunt, merito damnamus.

CV. Conjugiarupto continentiae voto inita non sunt irrita aut dirimenda.

CVI. Præstat etiam post vota solemnia castum conjugium impuro cœlibatu & vagâ fornicatione.

CVII. Non licet liberis etiam puberibus religionem vitæ monasticæ ingredi invitis parentibus.

CVIII. Abstinentia à solo esu carniæ, ovorum & casei, & circa illa de minimâ etiam parte aut brodio sollicita cautela, Christianam libertatem dedecet.

CIX. Non meretur nomen jejuniū in ecclesiā, quod ipso meridie solvitur.

CX. Nulla stata jejunia sive quadragesimæ sive quatuor temporum, sive feriæ sextæ hebdomadalis, nobis à Christo vel Apostolicâ traditione imperata sunt.

CXL Jejunium per se non est cultus divinus, sed utilis tantum ad eum preparatio atq; dispositio.

CXII. Flagellatio sui ipsius utpote barbara & ethnica disciplina, merito improbatur, multo minus pro bono opere laudari potest.

DISP. XXI. DE PRECIBUS ET CEREMONIIS.

CXIII. Orationibus nostris, quibus gratia & misericordia Dei imploatur, non meritum boni operis, sed inopiæ potius & infirmitatis confessio inest.

CXIV. Non sufficit ad preces rite fundendas attentio generalis aut virtualis, aut ad verba vel Deum tantum directa, absque attentione ad sensum.

CXV. Omnino ergo improbandus est mos recitandi preces seu privatas seu publicas in ignotâ linguâ absq; additâ interpretatione.

CXVI. Precibus ad statas horas aut concepta verba, ut in rosario fieri solet, allegatis nulla præ ceteris virtus aut sanctitas adscribenda est.

CXVII. Precibus privatis nullain N. T. ex loci dignitate facta est promptior exauditionis promissio, nec magis prodest eas seorsim in templo quam domi fundere.

CXVIII. Peregrinationes ad loca, quæ vocantur, religiosa augenda devotionis ergo suscepta, superstitionis plenæ esse solent.

CXIX. Patrocinium sibi & opem defunctorum supplicationibus ad illos institutis exposcere, templis & altaribus & diebus festis venerari, à pietate veri Christianismi alienum est.

CXX. Reliquias, ossa, vestes, tumulos martyrum aliorumq; sanctorum non ita venerari par est, ut beneficia inde expectemus, aut partem cultus divini in eo ponamus.

CXXI. Imaginibus non est attribuenda virtus vel miracula vel quoscunq; spirituales effectus producendi.

B

CXXII.

CXXII. Honorem adorationis eundem qui prototypo debetur, nec relativè aut per accidens imaginibus habere oportet.

CXXIII. Signum crucis per ipsam sui figuram seu ex opere operato non habet vim pellendi dæmones.

CXXIV. Aquam, oleum, salern, cineres, campanas &c. ad effectus supernaturales efficiendos certo ritu consecrare, aut consecrata adhibere non decet.

CXXV. Non est consultum ecclesiæ ritus & ceremonias, varia religionis Christianæ mysteria adumbrantes, magno molimine cumulare.

DISP. XXII. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CXXVI. Sacramenta non tantum gratiam conferunt, sed & promissiones gratiæ confirmant atq; obsignant.

CXXVII. Sacramenta N. T. gratiam non conferunt ex opere operato propter solam hominis dispositionem præviam, sed ad salutarem illorum usum requiritur ut fide quoq; recipiantur.

CXXVIII. Sacramenta V. T. etiam efficaciam media gratiæ erant, quæ fidem excitabant & obsignabant.

CXXIX. Sacramentum aliud alio ejusmodi efficaciam non præstat, ut characterem indelebilem animæ imprimat, qui absoluta quædam qualitas sit, ad certum statum vel actum hominem perficiens.

CXXX. Generalem aptitudinem validè administrandi omnia Sacramenta, quilibet Christianus habet, etsi non pariter specialem potestatem ut legitimè administret, nisi qui ad S. ministerium ritè vocatus atq; inauguratus est.

CXXXI. Dummodo ad actionem seriam non joculari se exterius componat Sacramenti administrator, intentio animi interna nec specialis nec generalis ad Sacramenti perfectionem pertinet.

CXXXII. Etsi sub hypothesi variæ definitionis vocis plura N. T. Sacramenta numerari possunt, accuratiùs tamen loquimur, si duo tantum agnoscimus, baptismum & eucharistiam.

DISP. XXIII. DE BAPTISMO.

CXXXIII. Baptismus Johannis & specie & virtute idem fuit cum baptismo Christi.

CXXXIV.

885
CXXXIV. Baptismus remittit peccata adeoq; illorum reatum tollit, non ipsam eorum aufert quidditatem, ut pristinae integritati hominem restituat.

CXXXV. Gratia baptismalis etiam post baptismum peccanti & verâ poenitentia ad Deum revertenti prodest.

CXXXVI. Infantes baptisati fidem habent actualem, etsi nec externis nec supra seipsam reflexis, internis tamen & directis actibus operosam.

CXXXVII. Baptismi necessitas non eo usq; extenditur, ut infantes Christianorum omnes, qui ante baptismum ex hac vitâ discedunt, æternâ salute excludi statuendum sit.

CXXXVIII. Confirmationis unctoriaë baptisatorum nec materia nec forma nec verba nec effectus ullo vel mandato divino vel Apostolorum exemplo gaudent.

DISP. XXIV. DE CONFECTIONE EUCHARISTIÆ.

CXXXIX. Consecrationis eucharisticæ efficacia non inhæret ulli pronuntiationi aut characteri sacerdotis, sed unice pendet à primâ Christi institutione.

CXL. More illum, quo consecratio eucharistiæ non clarâ & articulata sed submissâ voce fit, merito improbamus.

CXLI. Non talis fit in eucharistiâ immutatio, quâ tota substantia panis & vini tollatur, succedente in eorum locum corpore & sanguine Christi.

CXLII. Non est necesse, ut aqua vino eucharistico admisceatur,

DISP. XXV. DE USU EUCHARISTIÆ.

CXLIII. Conjunctio corporis & sanguinis Christi naturalis non arguit eorum concomitantiam sacramentalem sub quavis specie.

CXLIV. Non est proba & legitima S. Eucharistiæ communicatio, quæ sub alterâ tantum specie fit.

CXLV. Missas solitarias, quibus solus sacerdos conficiens communicat, probare non possumus.

CXLVI. Ad fructum & effectum eucharistiæ pertinet obsignatio remissionis peccatorum etiam mortalium, quorum quis conscientia angitur.

CXLVII. Non est tamen in eucharistiâ formaliter sacrificium propitiatorium, cujus oblatione placatus DEUS vel offerentibus vel adstantibus, quibus applicatio ejus intenditur, peccata remittat.

CXLVIII. Christus quidem in eucharistiâ præsens adorandus est, non tamen adoratione ad visibile signum directâ.

CXLIX. Promissio Christi non potest extendi extra usum ab ipso institutum, nec adeo panis eucharisticus ad alienum finem asservatus sacramenti rationem habere.

DISP. XXVI. DE PŒNITENTIA EXTERNA.

CL. Actiones pœnitentis exteriores non possunt vel pro verâ vel pro quasi materiâ aut sensibili elemento Sacramenti venditari.

CLI. Non est necesse ad remissionem peccatorum impetrandam, ut eorum omnium, quorum meminisse potest pœnitens, sacerdoti distincta fiat confessio.

CLII. Absolutio sacerdotalis non involvit judicalem & liberam cognoscendi atque æstimandi delicta potestatem.

CLIII. Nulla post remissionem peccatorum restat illorum pœnæ temporalis, quam spontaneâ satisfactione avertere aut prævenire possimus.

CLIV. Indulgentiæ papales ad averruncandas pœnas divinas aut exemptionem ab instituendis post absolutionem sacerdotalem spiritualibus exercitiis nihil profunt.

CLV. Extrema infirmorum unctio, ad remissionem peccatorum & gratiam spiritualem instituta, irritus ritus est, qui mandato & promissione divinâ caret.

DISP. XXVII. DE MATRIMONIO.

CLVI. Matrimonium non est symbolum religionis, cui promissio gratiæ justificantis sit annexa.

CLVII. Consensus parentum in liberorum matrimoniis ita est necessarius, ut sponsalia absque illo celebrata, irrita sint & nulla.

CLVIII. Infidelitas alterius conjugis non facit matrimonium solubile.

CLIX. Conjugium inter fideles contractum atque consummatum propter alterius conjugis adulterium non tantum thoro & cohabitatione, sed & vinculo ipso dissolvi potest.

CLX.

886
CLX. Circa matrimonia in gradibus Consanguinitatis aut affinitatis in Levitico prohibitis contracta, ecclesia dispensare nequit.

DISP. XXVIII. DE ORDINE.

CLXI. Votum cœlibatûs ordinibus sacris perperam annexum est.

CLXII. Nullo mandato Apostolico constat eum, qui defunctâ priore uxore aliam duxerit, ab ordine S. ministerii excludendum esse.

CLXIII. In ordinatione ecclesiastica non confertur gratia justificans.

CLXIV. Episcopo consentiente aut nullo instituto presbyter presbyterum ritè & validè ordinare potest.

CLXV. Episcoporum à presbyteris distinctio & super illos eminentior potestas tum ordinis tum jurisdictionis, non est juris divini.

CLXVI. Quòd ordines clericales præcisè septenario definiantur, nullo idoneo fundamento nititur.

DISP. XXIX. DE OFFICIO CLERICORUM ET LAICORUM.

CLXVII. Cura secularium negotiorum non est justum impedimentum, quo minùs episcopi ipsimet Evangelium doceant, & sacramenta administrent.

CLXVIII. Haud conveniens est, ut uni eidemque ecclesiastica & politica jurisdictio atque dignitas conferatur.

CLXIX. Neque causarum ecclesiasticarum dijudicatio, aut novarum circa sacra legum sanctio de jure divino ita privativè est penes episcopos aut clericos, ut laici inde omnino excludantur.

CLXX. Ipsa electio presbyterorum & episcoporum non debet absque consensu totius ecclesiæ fieri.

CLXXI. Habent & laici judicium discretivum in controversiis Theologicis, nec simpliciter ab ore pastorum suorum pendent.

CLXXII. Neo excludendi omnino à conciliis sunt laici, nedum presbyteri.

CLXXIII. Magistratus Christianus uti curam præcipuè sacrorum habere tenetur, ita & externam quandam directionem assumere potest, convocare concilia, auditis sententiis edicta promulgare, & tam clerum quàm populum cogere ut officium faciat.

CLXXIV. Nec bona clericorum nec ipsi clerici jure divino à potestate seculari simpliciter exempti sunt.

DISP. XXX. DE PAPA ROMANO.

CLXXV. Nullus est in terris ejusmodi vicarius Christi, qui ecclesie catholice caput sit visibile.

CLXXVI. Petrus nullum habuit imperium in reliquos Apostolos.

CLXXVII. Petrum gessisse Episcopatum Romanum, probabile non est.

CLXXVIII. Pontifex Romanus non est successor in omnes prerogativas Petri.

CLXXIX. Dominatum in omnes orbis ecclesias Pontifex Romanus nullo jure habet, aut affectare potest.

CLXXX. Nec habet Pontifex Rom. judicium universale de omnibus fidei controversiis, nec infallibilitatem in iis decidendis.

CLXXXI. Notæ Antichristi optimè conveniunt in P. R.

DISP. XXXI. DE ECCLESIE SANCTITATE.

CLXXXII. Ecclesia Dei rectè distinguitur in visibile & invisibilem.

CLXXXIII. Promissiones divinae de prerogativa & duratione ecclesie, ad certam cathedram aut populum non sunt annexæ.

CLXXXIV. Tota ecclesia visibile errare & penitus deficere potest.

CLXXXV. Membrum potest esse ecclesie catholice invisibilis, qui membrum ecclesie visibile ne voto quidem est, utpote injustè excommunicatus ab episcopis in hæresin prolapsus.

CLXXXVI. Veritas doctrinae, quam quæque ecclesia profitetur, non potest ullo signo ante nosci, quàm ejus institutum sit ad S. literas examen.

CLXXXVII. Instituto examine pura verbi divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio veræ & infallibiles notæ sunt purioris ecclesie.

CLXXXVIII. Ad reformationem ecclesie quilibet legitime vocatus esse intelligitur, quem præsens rerum necessitas excitat, ita tamen ut modus tentatæ reformationis statui & officio ejus conveniat.

CLXXXIX. Impuritas vitæ in prætenso reformatore non est argumentum nullitatis in reformatione doctrinali.

CXC. Nec externa sanctitas in vitâ Doctorum observata veritatis certum & infallibile indicium est.

DISP. XXXII. DE ECCLESIE FELICITATE ET ANTI-
QVITATE.

CXCI. Miraculorum & prophetiæ donum ho die aut rarum aut nullum est, ut ecclesia vera inde discerni nequeat, jactantia verò & ostentatio ejus mendacii suspecta, & malæ causæ index est.

CXCII. Externa felicitas vel infelicitas, bonæ malæve causæ certum argumentum planè non est.

CXCIII. Confessio adversariorum argumentum tantum ad hominem præbet, non ad rem.

CXCIV. Nomen catholicum & multitudo consentientium non sunt veræ ac genuinæ Ecclesiæ Christi notæ.

CXCV. Nec continua episcoporum inde ab Apostolis successio, nec hierarchia ecclesiastica probat veritatem doctrinæ, de quâ ambigitur.

CXCVI. Nec antiquitas, duratio aut consensus cum antiquis pro genuinis ac veris ecclesiæ Christi notis haberi possunt.

CXCVII. Non ergo potest ecclesia, cujus doctrina oppugnatur, se præscriptione tueri.

CXCVIII. Nec potest ecclesia se ab onere probandi dogmata sua, si illorum rationem poscatur, eximere.

DISP. XXXII. DE OFFICIO ERGA DEGENERES.

CXCIX. Non licet ad propagandam religionem, aut populum ad devotionem excitandum, fraudibus & imposturis uti.

CC. Hæretici capitali supplicio non sunt afficiendi.

CCI. Nec debet magistratus Christianus populum sibi parentem, carcere, multis, aliisve pœnis ad religionem veram cogere.

CCII. Fidem politicæ pacis aut obedientiæ non tollit hæresis; ut populus à juris jurandi vinculo erga magistratum apostatam exsolvi possit.

CCIII. Reservationum mentalium & æquivocationum lusus in juramentis & confessionibus, non tantum in praxi periculosus, sed & manifestè impius est.

CCIV. Ganeones & prostibula publica sub nullâ prophasi evitandi majoris mali toleranda sunt.

DISP. XXXIV. DE COMMERCIO CUM DEFUNCTIS.

CCV. Inter sanctos vivos & defunctos non est tale commercium, ut alteram partem alterius suffragiis juvari constet.

CCVI.

CCVI. Haud vero simile est, sanctos in cœlis triumphantes nosse quid hic in terris quotidie agatur.

CCVII. Multò minùs dici potest, eos assistere rebus mortalium, aliosque aliis patronos esse.

CCVIII. Nulla publicæ canonizationis auctoritas nos certos reddit, an re verâ sancti & beati sint, qui pro sanctis habentur.

CCIX. Nec si maximè tales sint & rerum nostrarum curam habeant, à nostro arbitrio pendet, aut ullâ experienciâ constat, quæ ipsis præcipuè administratio detur.

DISP. XXXV. DE STATU POST MORTEM.

CCX. Non datur purgatorium, ubi salvandorum residua peccata piaculari igne post mortem luantur.

CCXI. Infantes ante baptismum decedentes peculiari limbo contineri, ubi pœnâ damni afficiantur absque pœnâ sensûs, extra Scripturam S. temerè fingitur.

CCXII. Nec certi sumus de peculiari limbo Patrum sub terrâ prope infernum constituto, quo descenderint animæ sanctæ defunctorum in V. T.


CCXIII. A futurâ mundi conflagratione non excipiuntur vel cœli siderei, vel superior aëris regio, aut aliquid aliud materiale.

CCXIV. An cœlum beatorum sit locus aliquis corporeus, supra sidera amplissimo spatio porrectus, ex nullâ Dei revelatione constat.

CCXV. Deum nos in alterâ vitâ oculis corporeis visuros esse, haud facîle negare oportet.

CCXVI. De peculiari bus martyrum, virginum & doctorum in alterâ vitâ aureolis, earumque in corporibus, suo cujusque loco & colore, coruscatione, temeraria est decisio.





CXCI. Miraculorum & prophetiæ donum ho-
nullum est, ut ecclesia vera inde discerni nequeat
ostentatio ejus mendacii suspecta, & malæ causæ in-
argumentum planè non est.

CXCIII. Confessio adversariorum argumentu-
nem præbet, non ad rem.

CXCIV. Nomen catholicum & multitudo conse-
veræ ac genuinæ Ecclesiæ Christi notæ.

CXCV. Nec continua episcoporum inde ab-
nec hierarchia ecclesiastica probat veritatem do-
bigitur.

CXCVI. Nec antiquitas, duratio aut consensu
genuinis ac veris ecclesiæ Christi notis haberi potest.

CXCVII. Non ergo potest ecclesia, cujus de-
se præscriptione tueri.

CXCVIII. Nec potest ecclesia se ab onere pro-
fidorum rationem postulare; eximere.

DISP. XXXIII. DE OFFICIO ERGA DEUM

CXCIX. Non licet ad propagandam religionem
devotionem excitandum, fraudibus & imposturis uti.

CC. Hæretici capitali supplicio non sunt afflicti
CCI. Nec debet magistratus Christianus populum
carcere, multis aliisque pœnis ad religionem veram
conducere.

CCII. Fidem politicæ pacis aut obedientiæ
populus à juris jurandi vinculo erga magistratum
possit.

CCIII. Reservationum mentalium & æquivocorum
ramentis & confessionibus, non tantum in præ-
manifestè impius est.

CCIV. Ganeones & prostibula publica sub nu-
majoris mali toleranda sunt.

DISP. XXXIV. DE COMMERCIO CUM INFIDELIBUS

CCV. Inter sanctos vivos & defunctos non est
ut alteram partem alterius suffragium juvari constet.

887



im aut
erò &
ertum
homi-
on sunt
cessio,
à am-
is pro
gnatur,
ata sua,
lum ad
entem,
erfis; ut
exsolvi
is in ju-
, sed &
evitandi
is.
ercium,
CCVI.